

RUTGERSIUS Janus

POEMATA (814 vers)

L'édition proposée ici a été établie à partir de celle sortie de l'officine des Elzevier, à Leyde, en 1653, à la suite des poèmes de Nicolas Heinsius.

JOANNIS RUTGERSII POEMATA.

N.B. Les pièces dont le titre est précédé d'un astérisque ont été écrites par (ou en collaboration avec) un autre poète.

EPITHALAMIUM DICTUM POMPEIO ROOVRE, ET ANNA CASIMBROTIAE.

P_1 v.1 Viderat armorum rabiem, funestaque signa
 2 Cypris, et irarum vacuas cessare cohortes,
 3 Gradivumque suum teneris complexa lacertis,
 4 hactenus infestis, inquis, pugnavimus armis :
 5 quod superest, pugnabo meis. Risisse Cupido
 6 fertur, et auratas pharetra strinxisse sagittas.
 7 Est locus antiquis Batavorum in sedibus, atras
 8 hic ubi sunt Patres soliti componere lites.
 9 Quem propter multos incaedua silva per annos
 10 surgit, et augustam gremio complectitur aulam,
 11 illic et Veneri longe gratissima myrtus,
 12 et lentae salices, et opertae vitibus ulmi,
 13 et diffusa suos extendunt robota ramos.
 14 Caelitibus locus ille sacer. Quo pulchra Dione,
 15 obscuris quoties tellurem amplectitur umbris
 16 Hesperus, et nitidos ostentat Delia vultus,
 17 nympharum stipante solet se ferre chorea.

18 Illic marmoreis quae praesunt numina lymphis
 19 Naides, atque illic tacitas habitantia silvas
 20 numina conveniunt : quarum pars verrere chordas,
 21 pars incompositos agili dare corpore motus,
 22 pars in mole sedens penso devolvere fusos,
 23 at Venus elusos juvenum memorare calores.
 24 Hic primum innocuis haerentem amplexibus Annae
 25 Pompeium in vacua spatiantem vidit arena,
 26 ac blandum subrisit Amor : pharetramque recludit,
 27 et patrias depromit opes. Juveniliter arcum
 28 corripit ex humeris, (humeris suspenderat arcum)
 29 lunavitque genu. Vibrat manus altera telum.
 30 Et penitus tactos defigit vulnus in artus.
 31 Atque animae condit latebris. Ille ossibus ignem
 32 mox trahit attonitis, et adusto pectore flammas
 33 concipit insolitas. Nec adhuc se sentit amare
 34 infelix, dubiumque tamen praesagit amorem.
 35 Ah quoties cupidos nivea cervice lacertos
 36 implicuit ! Quoties roseis dedit oscula labris,
 37 non lasciva tamen, sed qualia virgo sorori,
 38 qualia vel nato genitrix, vel nata parenti
 39 non dubitet libasse suo. Sed cura Senatus
 40 avocat, et patrias secedere cogit ad arces.
 41 Quid faciat ? Duras imponis, Patria, leges.
 42 Nollet abesse tamen. Juvat o, juvat illa tueri
 43 lumina, quae gratos animo peperere dolores.
 44 Sed Patriae superavit honor praedulcis. Ut ire
 45 constituit ; vigiles curae gemitusque sequuntur
 46 post dominum, et curru lacrimae vectantur eodem.
 47 In domina mens omnis erat : quam sistit ubique
 48 praesentem violentus Amor, semperque videri
 49 se putat huic, solitasque audire ac reddere voces.
 50 Ah quoties tristes tentavit fallere curas
 51 carminibus ! Quoties dominam nomenque beatum
 52 injussae scripsere manus ! Mox blanda papyrus
 53 mittitur, ut tacitos domini commendet amores.
 54 Virginei juvat haud faciles tentare recessus
 55 pectoris, haud molles penitus lustrare latebras :
 56 adjungitque preces. Nullis tamen illa movetur
 57 obsequiis ; matremque libet praeferre marito.
 58 "Quid facis, immitis nimium ? Quid vota moraris ?
 59 Quid renuis mixtas audire et reddere voces ?
 60 Cur nulli gemitus potuerunt flectere mentis
 61 consilium crudele tuae ? Quonam usque resistes ?
 62 Cur tanti est tibi matris amor ? Cur nomen inane
 63 virginitas socio viduatos conjuge lectos
 64 praeponit thalamis ? Utinam, si pulchra fuisti,
 65 nec tam dura fores !" Augeri pectore curae
 66 interea, caecumque furit prorumpere vulnus,
 67 nec patitur se cura tegi. Subit impetus ire,
 68 Durdrechoque procul dilectos quaerere vultus.
 69 Utque ratem subiit ; clavum tenuisse Cupido
 70 fertur, et aeratae moderatus vela carinae.
 71 Sidereos oculorum ut vero conspicit orbes,
 72 substitit infelix, nec quid faciatve loquaturve
 73 invenit ; attonitusque suo vix credit amori.
 74 Nec secus exarsit praesentis imagine formae,
 75 maturas avidus quam cum populatur aristas

76 ignis, et ingentes late depascitur agros.
 77 Verum ubi disjecit nebulas dubiumque timorem
 78 Cypris, et attonitae revocavit gaudia menti,
 79 laxavitque viam voci ; tum ferre negatos
 80 tum petere amplexus, ac flumina mellea fundens
 81 invitam expugnat penitus facundia mentem.
 82 Paulatim non dura sequi, jam capra videri
 83 incipit, et dubitat. Mox nec sua vota negare
 84 sustinet oranti Virgo, totoque recepit
 85 pectore Pompeium. Piget ah, nolletque fuisse
 86 crudelis. Nec jam patitur meminisse labores
 87 praeteritos ; tantumque timet non grata videri.
 88 Felices nimium, quorum fortuna peracta est,
 89 quos Amor in tuta thalami starione locavit,
 90 temporibus quorum Cythereia myrtus inhaeret.
 91 Felices nimium ! vobis jam Vesper Olympo
 92 exoptata diu paulatim lumina tollit.
 93 Hespere, nam quae te caelo lux blandior exstat ?
 94 Hespere, prae stellis gratissime quislibet unus,
 95 te matres, cupidaeque nurus, te semper amantes
 96 sollicitis poscunt precibus, votisque requirunt.
 97 At tu pelle metus animo, ignavumque timorem
 98 o Virgo, (extremum, quod te sic alloquor, hoc est)
 99 pelle metus, dulcesque sinu depone marito
 100 virginis exuvias. Sic dent tibi Fata Nepotes,
 101 sic cumulent socios numerosa prole penates.

POEMATIIUM DICATUM HONORI PRAESTANTISSIMI ET CLARISSIMI JUVENIS
 THOMAE ERPENII

P_2 v.1 Sol, qui tellurem flammanti sidere lustras,
 2 aeternoque cies labentia saecula motu,
 3 hunc pura da luce diem ; nec nubila Phoebi
 4 involvant illustre caput. Sed lumine blando
 5 respice (si quidquam superos fas poscere Divos)
 6 Cattigenasque tuos, et magnae moenia Leidae :
 7 scilicet ut propius tantos miretur honores,
 8 Erpeniumque suum gavisa Batavia spectet.
 9 Me dotes traxere tuae, tuaque inclyta virtus
 10 in carmen laudesque pias, plectroque resumpto
 11 jussere emeritum Musas revocare Poetam,
 12 atque ejuratas iterum implorare Camenas.
 13 Quid primum ? Quid deinde canam ? Junctosne labores
 14 ingenio, ac longo vigilatas ordine noctes ?
 15 Non tibi femineo placuit torpescere luxu ;
 16 otia non captata, et inertis munera somni.
 17 Sed mens degenerem ferre indignata quietem
 18 nescibat restare loco ; sed gloria dulcis
 19 pungebat, stimulosque tibi dabat aemula virtus.
 20 Ad tantae stupuit magna incunabula laudis
 21 urbs, quae Mattiacas inter prima emicat urbes.
 22 At postquam tibi dulcis honos, laudumque cupido
 23 exacuit mentem, ac operum ad majora vocavit,
 24 tum caeli spatia et causas inquirere rerum,
 25 ingenii res visa tui est. Quibus aethera flammis
 26 ornarit Natura parens. Cur caerula Tethys
 27 aestuet, aut quare bibulis valletur arenis,

28 et circum oppositas timeat perrumpere metas.
 29 Scilicet ingenio labor hic, carissime, tanto
 30 dignus erat. Nec te assiduas impendere luces
 31 taeduit, aut totas vigilando ducere noctes.
 32 O quoties caelique plagas, arcanaque rerum
 33 te matutinus rimantem vidit Eous,
 34 rimantem vidit paulo post Hesperus idem !
 35 Mox ubi Naturam lustrasti sedulus omnem,
 36 ignavis et si qua vetat Natura recludi,
 37 te dignum Sophie duxit, quem pulchra laborum
 38 praemia, quem parti studio sequerentur honores.
 39 Sed pudor ingenitus, placidaeque modestia mentis
 40 munera rejecit, laurumque capessere jussus
 41 abnuis, et meritum non exorandus honorem
 42 haud prius admittis, quam te meruisse probasses.
 43 Ceu trifidi indomitus gestator sistminis ales,
 44 Cui pater ipse deum dedit in genus omne volantum
 45 imperium, ob fidos rapto Ganymede labores ;
 46 ut primum teneros ovis excludere fetus
 47 vere datur, cum terra sinu viridante relucet,
 48 prolem sidereos vix natam obvertit ad ignes,
 49 ac Phoebi radios recto jubet ore tueri.
 50 Quae refugo instantes non passa est lumine flammam,
 51 arcetur nido, ac regnis pulsatur avitis.
 52 At si quis rabidi flammantia lumina Phoebi
 53 erecto valet ore pati, fit fulminis haeres,
 54 et patrio nido, et regnis succedit avitis.
 55 Par huic nuper eras, juvenum clarissime, tunc cum
 56 exploratores sprevisisti interritus ignes,
 57 et nusquam trepido flexisti lumina visu.
 58 Quo magis urgerent hostes, constantius ibas
 59 victor in adversos ; nec passus ante relati,
 60 quam fugerent omnes, et adacti terga dedissent.
 61 Is vigor eloquio, teque haec sanctissima sedes
 62 suspexit, blandoque orantis ab ore pependit,
 63 flexit et attonitas facilis facundia mentes.
 64 Plurimus hic civis, procerumque amplissimus ordo,
 65 Juliades pater ipse sacras tibi commodat aures.
 66 Huc oculos converte tuos, huc lumina flecte.
 67 Adspice regali solio sublimis ut exstet
 68 majestas augusta viri. Tenet ora verenda
 69 in vultus en fixa tuos. Certissima divum
 70 progenies ! Mens o patrio contermina caelo !
 71 Seu juvat igniferum Phoebi rimarier axem,
 72 et geminos lustrare polos ; seu sidera spectas
 73 ingenio vix aequa tuo ; seu tempora fastis
 74 restituis male nota suis ; seu denique magni
 75 aemulus Euclidae circos in pulvere ducis ;
 76 assurgit Natura tibi : tibi, maxime rerum,
 77 submittit fasces, et se stupet esse minorem.
 78 Praeterea sedet emeritis spectabilis annis
 79 Grotius, et tacita subdit calcaria voce,
 80 grataturque tibi votis. Tibi dedita tota est
 81 mens Baudi facunda mei. Favet Heinsius ore
 82 applauditque tibi. Mox ordine tota juvenus,
 83 felices tibi successus devota precatur.
 84 Et nunc o felix ! Cui tam bene pugna peracta est,
 85 quem labor in tuta famae statione locavit,

86 tempora nunc cujus Phoebelia laurus inumbrat :
 87 praemia quae tantis sunt aequa laboribus. At nos,
 88 quos incertus adhuc, forsam tamen exitus idem
 89 mox manet, haec a te studiorum exempla petemus.

CARMEN EXTEMPORANEUM

DICATUM HONORI JUVENIS PRAESTANTISSIMI GIBERTI POLLII.

P_3

v.1 Quamvis nulla petat sublimis praemia Virtus,
 2 nec vanos vulgi applausus, nec inania captet
 3 munera, sed meritos etiam contemnat honores,
 4 attamen invitam socii comitantur honores.
 5 Quid juvet Annales, priscosque revolvere fastos,
 6 et genus Aeneadum, et magni incunabula Tulli ?
 7 Quem teges exceptit, cujus vagitus in arvis
 8 auditus, trepidum toties deduxit aratro,
 9 dum metuit ne quid laedat Fortuna, parentem.
 10 Scilicet in pratis plorabat rusticus infans,
 11 quem vix Roma capit. Pecudes pascebat avitas,
 12 et patrios duro perarabat vomere sulcos
 13 Hostilius, quem mox Romana palatia regem
 14 et dominum dixere suum. Notissima fastis
 15 nomina, Fabricios, Curiosque e rure profectos,
 16 et pastorem justos mutare ligonem
 17 fascibus ob pulchrae meritum virtutis, omitto.
 18 Quin etiam exemplis non sunt haec saecula priscis
 19 indiga. Dant Batavi, quos longum mittat in aevum
 20 posteritas, serique legant stupeantque nepotes.
 21 Te tamen ante omnes, juvenum cultissime, dicam,
 22 o patriae spes certa tuae, spes certa parentum !
 23 Quem sibi despondet vectura in saecula civem
 24 res Batava, ac sancti moderantem jura Senatus
 25 suspiciet, miserisque reis oracula dantem.
 26 Scilicet id meruit series ususque laborum,
 27 dum sacram libet usque tibi voluisse papyrus,
 28 hanc, quae Romanas inscripta est pagina leges.
 29 O quoties, Polli, Titan oriensque cadensque
 30 vidit adoratas cupidum perquirere leges !
 31 Scilicet a primis talem te protinus annis
 32 formavere domi veneranda lege parentes.
 33 Nec tamen emeritum soli fecere labores.
 34 Di tibi iudicium dederunt, artemque fruendi
 35 quidquid ab aeterno veteres docuere magistri.
 36 Di facile ingenium, Di linguam atque ora deserto
 37 donavere tibi. Sed nec mihi dicere promptum,
 38 attonitas quoties facundia duxerit aures,
 39 dum simul unanimes, et tecto viximus uno.
 40 Tene ego praeteream, terris lux aurea nostris ?
 41 Quem te sublimi viderunt sede tonantem
 42 Urbis Apollineae proceres, proceresque Lycei !
 43 Ut patribus stupuit Batavis immixta juvenus
 44 pectore sollicitum et testantem plurima divos,
 45 et circumfusa metuentem orare corona !
 46 Hinc ubi sublimem scandis, Giberte, cathedram,
 47 atque hostes denso stipatos agmine cernis,
 48 armaque vibrantes, ac tela inimica moventes,
 49 luminibus paulum haerebas tellure moratis,

50 immotusque loco, vires dum colligis omnes.
 51 Ast, ubi firmatae venerunt robora menti,
 52 fortiter innumerum late ruis obvius hostem,
 53 et trepidam armata prosternis voce catervam.
 54 Qualis ubi infestum conspexit cominus agmen
 55 ire leo, ut primum flagrantem percutit orbem
 56 obvia lux ferri, et jubar e mucronibus igneum,
 57 demittit cervice jubas, artusque rigentes
 58 contrahit, et dubius, dum lentam colligat iram,
 59 subsidit campo, nec amarum fertur in hostem.
 60 Mox ubi concepit furias, rabiemque medullis
 61 et penitus saevum stimulavit mente furorem,
 62 erigitur, meminitque sui. Per tela virosque,
 63 per ferrum sibi pandit iter, gaudetque ruina
 64 invenisse viam. Tum si levis incubet hasta,
 65 vulneraque et viles venantum negligit iras.
 66 Jure igitur, laudum postquam documenta dedisti
 67 tantarum, summos, Giberte, capessis honores.
 68 Est operae celebres ab origine noscere ritus.
 69 Principio librum, Polli, tibi donat apertum :
 70 seu quia te Themidos jubeat mysteria dignis
 71 pandere, sive vetet sic te tibi fidere, fretum
 72 ingenti licet ingenio, ut componere lites
 73 sponte tua te posse putes. Nullius egenam
 74 mortales animae mentem sperare vetamur.
 75 Mox tamen est clausum tibi donaturus eundem,
 76 seu quia te Themidos jubeat mysteria vulgo
 77 claudere, seu quia sic jubeat tibi fidere, fretum
 78 ingenti ingenio, ut veterum certamina speres
 79 sistere posse, et sponte tua componere lites.
 80 Hinc fulvo, Polli, digitus tibi cingitur auro,
 81 seu quia nil auro genitrix Natura creavit
 82 purius, hinc mentem puram servare jubemur ;
 83 seu quoniam hic ritus per equestrem ducit honorem,
 84 sive quod (ambiguo quia adhuc sub iudice lis est)
 85 sint signanda tibi, quae das responsa clienti.
 86 Hos postquam ritus confecerit, oscula libat
 87 concordiae dextrae (signum hoc seu pacis habeto,
 88 sive clientis opus) capitique imponit honorem.
 89 Stat fronti sublimis apex, tegimenque verendum,
 90 ut Sophiae sedes victricis fronde tegatur.
 91 Tot vero ornatum titulis, tot honoribus auctum
 92 adspice Leida virum, votis quem saepe petisti.
 93 Sed nil perpetuum mundi compage tenetur.
 94 Felices nimium, propria haec si dona fuissent,
 95 felices Batavos ! Sed tu nunc plenus honorum
 96 invisus terras alio sub sole jacentes.
 97 Quo fugis, immitis ? Cur regna aliena requiris ?
 98 Sic elapsa tuae dilecta Batavia menti ?
 99 Te genitor Rhenus, Vahalis te gurgite maesto
 100 tam nascente die, quam nascente, requirit.
 101 Ut jubar auratum viduo cum subtrahit orbi
 102 Phoebus, et adversis donat sua lumina terris.
 103 Cuncti indignantur tenebras, optantque vicissim,
 104 ut matutinos exsertet Lucifer ignes.
 105 Sed sua conspicuus reparat dispendia Titan,
 106 et noctem alternus formoso pensat Eoo :
 107 verum nulla dies, nullumque resarciat aevum

108 jacturasque graves, Polli, et tam tristia damna
 109 discessu mihi nata tuo. Quid prata ? Quid urbes ?
 110 Quid Batavi meruere tui ? Ne subtrahe vultus,
 111 servandum patriae ne tollat Gallia civem.
 112 Sic tibi longaevos servent pia fata parentes,
 113 gloria sic fugiat cineres tibi sera sepultos,
 114 venturoque meus memoretur Pollius aevo.

EPISTOLA JOCOSA AD COGNATUM QUEMDAM SUUM.

P_4 v.1 O dulce nomen, atque cognatum mihi,
 2 sed consulenti non amice curiae,
 3 nec sordidatis tale praesidium reis,
 4 severa frontis quale promittit fides ;
 5 et illa bina non amoena lumina,
 6 quae fronte torva turpia aspectu micant ;
 7 qualia, Pelasgis si qua vatibus fides,
 8 lascivus olim vector Europae tulit ;
 9 vel quale vasto vastior specu jacens
 10 Polyphemus Ithaci regis amisit dolo ;
 11 seu qualis aut est, aut procul tuentibus
 12 Apollinaris orbis apparet facis.
 13 A cujus ore melle quovis dulcius
 14 Astraera legum condidit silentium,
 15 cognate noster, quid rei potissimum
 16 terra in Batava facere nunc te existimem ?
 17 An hocce mente provida totus caves,
 18 uno clientes ne quis asse pauperet,
 19 noctes diebus noctibus jungens dies,
 20 aliena curans, priorum negligens ?
 21 Quae utrique quondam cura communis fuit.
 22 Verum me Atlantis clarus astriferi nepos
 23 humeros amictus nube candentes nigra
 24 celer per auras pedibus alatis vehens
 25 feto scelestis usque et usque litibus,
 26 (quae vis Deorum est caelitem) eripuit foro.
 27 An taetricarum tristitatem litium
 28 amoenitate Sarsinati diluis ?
 29 Levine tempus ducis ingratum pila,
 30 seu te datatim, sive te expulsim juvet,
 31 utroque pollens, debiturus nemini ?
 32 An potius asprum exercitamenti genus
 33 quaerens relictis hisce mollioribus,
 34 haeres Iberis doctus Asturconibus ?
 35 An dulce collo virginis pendens onus
 36 ebria remistis verba jactas osculis ?
 37 Capaciores ane postulans scyphos
 38 cinctus jocosus hinc et hinc sodalibus
 39 frangis morantem flore Liberi diem ?
 40 Seu rem lagoenis strenuus Chiis geris,
 41 seu Massicanis mavelis, aut Caecubis,
 42 Hispaniensi seu liquore postulas,
 43 seu Gallicano, sive qui Germanicus
 44 rex ceterorum patriae cellis meae
 45 Rheni secundo flumine illabi solet :
 46 non indecorum, amice, sectans otium,
 47 inertiae spiritum frangens marem ;

2 hic ubi Libertas illa paterna viret ;
 3 seu celerem Rhodanum, gelidum seu deseris Istrum,
 4 seu fugis aurifero regna beata Tago,
 5 seu rerum dominae linquentem moenia Romae
 6 excipiet portu terra Batava suo.
 7 Huc ades, et specta populis incognita vestris,
 8 et Lugdunensi si quid in urbe latet.
 9 Sed nimium turres, nimium ne respice moles,
 10 quas struit in luxus ambitiosa suos.
 11 Ecce aliquid majus, longeque potentius ecce :
 12 hic posuit sanctum culta Minerva larem.
 13 Hic sunt victuris notissima nomina chartis,
 14 quae fovet aeterno Fama beata sinu.
 15 Tuque adeo, cujus totum laus fusa per orbem
 16 implevit titulis Solis utramque domum,
 17 ad cujus Famae radios excita juvenus
 18 sustinuit patriam deseruisse suam.
 19 O quoties aliquis, cum te, Tuninge, notaret,
 20 en decus, en Batavae gloria gentis, ait !
 21 Tu vero patrias, hospes, rediturus in urbes
 22 cum referes genti non bene nota tuae,
 23 hoc quoque dic : inter Batavae miracula terrae
 24 conspicuum multa vidimus arte virum,
 25 qui Gallus Teutoque foret, foret Italus ; et quem
 26 juratit civem Graecia prisca suum.
 27 Si neget hoc aliquis, dic : cum foret ille Batavus,
 28 quod vix posteritas credat, Iberus erat.

AD EUMDEM,
 QUOD SEX MENSIBUS ACCURATISSIME LINGUAM LATINAM DIDICERIT,
 UNO TRIENNIO TOTUM STUDIORUM CURSUM ABSOLVERIT,
 AC APOPTHHEGMATA CONSCIPSERIT OTIOSUS.

P_8 v.1 Jam tibi ter ternos totidemque absumpserat annos
 2 desidia, et gelidae mortis imago quies ;
 3 jam poteras juvenis, jam vir, Gerarde, videri :
 4 vestibat primas hispida barba genas ;
 5 cum tibi degenerem mens indignata quietem
 6 otia non ultra desidiamque tulit.
 7 "Hactenus, exclamas, vitam sectamur inertem :
 8 nunc alio puppim ventus et unda vocant."
 9 Nec mora, Tuningi ; Latias accingeris artes,
 10 et simul est curae Graecia docta tibi.
 11 Aggrederis linguam ; sexto tibi mense peracta est,
 12 vix aliis sexta discere messe fuit.
 13 Jam stupet innumera Batavus te voce loquentem,
 14 cum tibi perlinguas impetus ire subit.
 15 Haec quoque, quae Latias inscripta est pagina leges,
 16 bis tibi quindeno cognita mense fuit.
 17 Docta laboratis junguntur et otia curis ;
 18 illa, quibus debes, quod modo prodit opus.
 19 Otia profuerunt. Tua per dispendia crescis.
 20 Ditia sunt lucro damna, Gerarde, tibi.

DE SAMUELE NAERANO ELEGANTISSIMOS POEMATUM LIBELLOS EDENTE.
AD DORDRACUM.

P_9 v.1 Quos tibi dat civis, Batavum Regina, libellos
2 accipe : nobilior pagina nulla fuit.
3 Seu canit hic Elegos ; teretes seu stringit Iambos ;
4 seu ferit Ausoniae plectra secunda lyrae ;
5 seu juvat adstrictis Anagrammata claudere nodis ;
6 seu juvat Heroos, Bilbilicosque sales.
7 Talia cantabat Geticis Pelignus in oris,
8 dum nimium saevi Principis exsul erat.
9 Talibus attonitas ducebat Caesaris aures,
10 Pindaricum Flaccus cum superaret opus.
11 Talia Bilbilico quondam ludente Salonem
12 Pierides lymphis praeposuere suis.
13 Te quoque cum terris Vahalis, Naerane, dedisset,
14 Castaliis meruit mixtus ut iret aquis.

MANIBUS VIRI CLARISSIMI AELII EVERHARDI VORSTII,
A CUJUS EXCESSU LUGDUNENSIS LUES IN IMMENSUM CREVIT.

P_10 v.1 Viderat ingenti damnatam funere Leidam,
2 et questa est Lachesis millia pauca mori.
3 Hactenus ignavae vanis pugnavimus armis,
4 hoc nullum est nobis sospite numen", ait.
5 Ultima contigimus. "Jus mortis habemus ab uno.
6 Eludit nostras Vorstius usque colos.
7 Finierat Lachesis. Soror altera stamina rumpit,
8 et Leida, heu, damnum flet simul orba suum,
9 nam quae, te salvo, salvo est grassata pudore,
10 extincto saevit absque pudore, lues.

IN OBITUM VIRI CLARRISSIMI THOMAE ERPENII
ORIENTALIUM LITTERARUM IN ACADEMIA LUDUNENSI INSTAURATORIS
INCOMPARABILIS

P_11 v.1 Omnia Lugduno dum Phoebus donat, habebat
2 quas habuit Graius, quasque Latinus, opes.
3 Intulit Erpenius Musas Oriente petitas,
4 haec deerat Batavis gloria sola meis.
5 Sublato Domino patrias rediere sub oras,
6 et fugit Batavos gloria tanta meos.
7 O Lugdunensis data cui tutela Minervae est,
8 et vatum vates diceris esse pater,
9 Hesperias saltem, Phoebe, o defende Camenas,
10 jam victi spoliū mors Orientis habet.

IN NATALEM ANNUM ILLUSTRISSIMI VIRI JOSEPHI SCALIGERI 1540
QUI TANTO AESTU NOBILITATUS FUIT,
PLERISQUE CALIDIORIBUS LOCIS VINEA FUERINT EXUSTAE.

P_12 v.1 Cum primum illuxit divinus Scaliger orbi,
2 et didicit tellus sidera posse pati,
3 obstupuit Phoebus, valeantque et currus et aether,
4 qui lucem (dixit) conferat, alter erit.

5 Dum pavet, et lumen venturum hoc invidet astris,
 6 exciderunt trepida flammea lora manu.
 7 Deflexere rotae, doluitque incendia mundus,
 8 et caeli damnum sensit adusta Ceres.
 9 Quod timeas non est, genitor radiare diei,
 10 ut possint soles sidera ferre duos.
 11 Non petit hic currus, sed quos, dum nascitur ille,
 12 non bene flectebas, ire docebit equos.

ALIUD

P_13 v.1 Quisquis adest peregre, Batavas initurus Athenas,
 2 et tot conspicuis moenia clara viris,
 3 Scaligerum tumulo non aestimet hospes ab illo :
 4 nil praeter cineres ossaque nuda capit.
 5 Non haec semideos manes compescuit urna,
 6 non tegit immensos tam brevis arca Deos.
 7 Prosiluit busto, et Divum convexa secutus,
 8 it rerum dominos spiritus inter avos.

ALIUD.

P_14 v.1 Astrorum proceres, superis gens addita Divis,
 2 queis regitur caeli curia summa viris,
 3 queis pietas, queis sancta fides castique penates,
 4 et semper magnis aemula vita Deis,
 5 sublimem faciles patefecit ad aethera gressus,
 6 et superos inter donat habere locum,
 7 accipite hanc animam : non est sibi conscia culpae,
 8 et negat ullius criminis esse rea.
 9 Accipite, et caelo det mollia jura volenti :
 10 in terris doctas rexerat illa Deas.

VIRO CLARISSIMO EVERARDO VORSTIO.

P_15 v.1 Sic tibi concedat medicanti Pergamus arte,
 2 nec certet dextrae dextera Coa tuae ;
 3 sic coeant queiscumque sacras admoveris herbas
 4 vulnera, nec dubiam sentiat aeger opem ;
 5 saevaque crudelis cessent contagia morbi,
 6 et fugiant succis victa venena tuis ;
 7 ut mihi se non ante oculis tam grata legendam
 8 obtulit aeterna charta notata manu,
 9 crudeles obitus quae rapti maeret amici,
 10 et jacet ad viduos tristia verba rogos.
 11 Qualia sub densa ramorum concinit umbra
 12 dum gemit absumptum Daulia mater Ityn,
 13 qualia cantabat Geticis in rupibus Orpheus,
 14 Eurydices questus fata secunda suae.
 15 Haec quoque venturi discant te vate nepotes :
 16 exsequias aevum posteritatis eat.
 17 Quid renuis frustra ? Non est tua pagina, Vorsti,
 18 quae lacrimas serae posteritatis habet.

DE CLUSII OBITU.

P_16 v.1 Viderat astrorum motus, causasque notarat
 2 quae faciant nasci sidera, quaeque mori.
 3 Emensus stellas, et totum Clusius orbem,
 4 in gemino quantum cardine Phoebus obit,
 5 "Jam didici caelum, quid adhuc nisi terra relicta est ?
 6 Hinc quoque, sed major, fama petetur", ait.
 7 Nec mora, Telluris sacras accingitur herbas,
 8 et gremio quidquid omniparente fovet.
 9 Jam penetrat Gangen, jam Medum lustrat Hydaspem,
 10 et qui septeno gurgite Nile fluis.
 11 Omnia quaerebat. Quaerenti defuit orbis.
 12 Ulterius nec quo progredereur erat.
 13 Nunc jacet hic. Tellus varias superadjicit herbas,
 14 datque rogo lacrimis humida sarta suis.
 15 Qui coluit flores, et sacrae semina matris,
 16 credibile est illum sic voluisse tegi.

ALIUD, IN TUMULUM CLUSII.

P_17 v.1 Quid tegat hic tumulus, si vis novisse, viator,
 2 exuvias Clusi continet ille mei,
 3 confectas senio, fractas morbisque malisque,
 4 summaque vix quarum strinxerat ossa cutis.
 5 Sed tamen ingenium, sed mens divinior hujus
 6 heu male formati corporis hospes erat.
 7 Non querimur raptum. Quidquid mors invida dempsit,
 8 ingenio nobis reddidit ille suo.

ALIUD.

P_18 v.1 Cum Clusi corpus tumulo Natura locaret,
 2 quem maerens manibus fecerat ipsa suis,
 3 ingemuit, tollensque manus ad sidera "Terrae
 4 hoc peperit ; caelum cetera, dixit, habet."

ALIUD.

P_19 v.1 Qui videt hos flores tumuli de vertice nasci,
 2 haec cineri tellus ultima dona dedit.
 3 O bene, quod tumulo condatur Clusius isto !
 4 Qui coluit flores, floribus ille jacet.

ALIUD AD CAROLI CLUSII MANES.

P_20 v.1 Divini manes, et tanti nominis umbra,
 2 et Clusi quidquid non tegit urna mei,
 3 accipite exiguum mansuri pignus amoris,
 4 dum liceat nobis condere majus opus.
 5 Accipite, et quamvis parvum ne spernite munus.
 6 Numquam non pietas digna favore fuit.

MANIBUS PETRI COLONII,
QUI LUGDINI PESTE EXTINGTUS EST.

P_21 v.1 Unica spes patris, miserae spes unica matris,
2 delictum castae praesidiumque domus,
3 et cum doctrina pietas, probitasque, fidesque,
4 et caetae niveus simplicitatis amor,
5 et nimium propere rapti Virtutis honores,
6 quos vel jam dederat, quosve datura fuit,
7 hac pariter tumulantur humo. Flevere parentes
8 heu leti leto tristius esse genus.
9 Desine tantarum nunc o, saevissima stragum,
10 et saltem furiis meta sit ista tuis.
11 Multis illa quidem, sed nulla invisior umbra
12 infecit sanctos Palladiosque lares.
13 Luximus Erpenium, vix post tua funera, Vorsti,
14 non habet in Leida jam nova plaga locum.

DIES XXIX AUGUSTI MENSIS GROTONIO CARCERE NEFASTA.

EPIGRAMMATA PRIMUM.

P_22 v.1 Haec est illa dies, quae tanti conscia luctus
2 Grotiacas vidit vincula ferre manus ;
3 nec flevit scelerata nefas, sed lumine sicco
4 admisit radios, auree Phoebe, tuos.
5 Desine felices inter Lux impia luces
6 formoso nebulam spargere velle die,
7 sed qualis Latiis damnata est Allia fastis,
8 invisum populis tu quoque nomen habe.

ALIUD. II.

P_23 v.1 Quam bene conveniunt simili duo numina fato
2 Isacidum ductor, Grotiadesque meus !
3 Evasit latitans angusta Grotius arca :
4 servatus texto viminis ille fuit.
5 Huic Vahalis placidas substravit fluminis undas :
6 hoc Nilus, Mose, fecerat ante tibi.
7 Excipit hunc Celtes, illum regina Canopi :
8 et reus hic patriae est ; et fuit ille suae.
9 Par quoque principium similis fortuna sequetur,
10 nam populo leges hic dabit, ille dedit.

ARCA. III.

P_24 v.1 Haec ea, quae domini solita est portare libellos,
2 Grotiadae fuerat pondere facta gravis :
3 mutatum neque sensit onus. Quod enim illa ferebat,
4 id quoque, sed spirans, bibliotheca fuit.

IV

P_25 v.1 Sedes cara Deis, servati gloria vatis,

2 servato grates quas tibi vate feram ?
 3 Si verbis aequare velim tua facta, libellis
 4 tot nobis opus est, ferre quot, Arca, soles.
 5 Quid prodest optare libros, facundia quorum
 6 sacra sit in laudes ingeniosa meas ?
 7 Nobile depositum, mihi quod debere salutem
 8 agnoscit, major bibliotheca fuit.

V.

P_26 v.1 Haec, quam stare vides, peregrinae filia sylvae,
 2 servatrix domini nobilis Arca sui,
 3 non leve, nec quavis decisum ex arbore lignum ;
 4 sed stirpem trunco de meliore vides.
 5 Aut fuit intactae quondam haec tutela Minervae ;
 6 aut fuit haec Clario laurus amata deo.
 7 Huic Paphias myrtos, vel qua Cybeleius Attis
 8 fronde latet, lignum suppeditasse putem.
 9 Vel quas Chaoniis populo responsa petenti
 10 commemorant quercus certa dedisse jugis.
 11 De silva quacumque venis, Theseia puppis
 12 quod fuit Actaeis, hoc eris, Arca, mihi.

IN GAZOPHYLACIUM ET ARMAMENTARIUM
 DRESDENSE SERENISSIMI ELECTORIS SAXONIAE.

P_27 v.1 Viderat excelsae Mars pulchra palatia Dresdae,
 2 et sacras, Princeps quas cumulavit, opes ;
 3 Atque ait : "Has decuit habuisse, o Jupiter, auro
 4 tunc tibi cum Danae concilianda fuit."
 5 Cui pater ostendens armamentaria, tales
 6 caelesti retulit protinus ore sonos :
 7 "Cum conjuratos tremere mea dextera fratres,
 8 optassem haec potius arma fuisse mihi."

MARIAE ELEONORAE SUECORUM ET C. REGINAE,
 CUM EI INCOMPARABILIS PULCHRITUDINIS CANEM INDICUM MITTERET.

P_28 v.1 India quem nostris submisit victa triumphis,
 2 hunc pedibus dextra supplice sisto tuis.
 3 Ut faciem aspicias, nihil est formosius illo,
 4 et talis, dices, Procridis ante fuit.
 5 Hunc caelo Erigone, silvis Diana locasset :
 6 sed, nisi te, nullo numine dignus erat.

INSIGNIA ORDINUM GENERALIUM ET DOMUS AUSTRIACAE.

P_29 v.1 Quae constricta vides uno tot spicula nodo,
 2 protegit invictae Martia cura ferae.
 3 Advolat Austriacis ales delapsus ab oris,
 4 et rostro et curvis unguibus illa petit.
 5 Stat contra intrepidus, ferrumque intentat in hostem,
 6 et libertati vindicat ista Leo.
 7 Quid contra nemorum dominum dominumque ferarum,

8 infelix volucris, unguibus ire paras ?
 9 Maturanda fuga est. Velocibus utere pennis
 10 aut aliter salvo non licet ire tibi.

CUR 'NONNO' RHENUS IBER DICATUR.
 EPIGRAMMA JOCOSUM.

P_30 v.1 Dum modo sepositis agitat convivia curis,
 2 mixtaque Phoebeae Martia turba sedet,
 3 inter mille jocos, quibus alta palatia rident,
 4 haec quoque cum multis quaestio mota fuit :
 5 Ille tui vates operis, cur dixerit, Euhan,
 6 in tibi sacrato carmine, Rhenus Iber.
 7 Sed neque Grammaticos inter qui dicere posset,
 8 nec quibus in tabula pingitur orbis, erat.
 9 Miles ad haec ridens : "Frustra quod quaeritis istic,
 10 hoc ducis Hesperii dextra docebit, ait.
 11 Nec mora, Germanis infers fera, Spinola, signa ;
 12 et cedit Rheni viribus unda tuis."
 13 Sic dubitat nemo, bene quin dicatur Iberus,
 14 quod voluit nemo credere, Nonne, tibi.

* DANIELIS HEINSII
 VOTUM AD HALCYONES PRO INCOLUMITATE JOANNIS RUTGERSII.

P_31 v.1 (Carmen graece scriptum)

LATINE RUTGERSIO INTERPRETE.

P_32 v.1 Vos o navigii matres felicis, et o vos
 2 reginae placidi Halcyones pelagi,
 3 nunc agite o, facilem nobis nunc sternite pontum
 4 Palladiis pueris Oceani puerae.
 5 Si decus et nostri juvenis hic culmen amoris
 6 optata incolumis litora contigerit,
 7 distentis duro partus aegroque dolore
 8 tunc vobis genitalem hymnum ego concinam.
 9 Alternas igitur grates solvamus uterque
 10 Musarum volucres Nereidum alitibus.

* HUGONIS GROTTII EPIGRAMMA INSCRIPTUM ALBO AMICORUM JOANNIS RUTGERSII.

P_33 v.1 Pictus Apollinea stellantia tegmina lauro,
 2 qui domini Vatis se probat esse, liber ;
 3 optime Rutgersi, non hic in plebe latentes,
 4 sed notas toto quaerit in orbe manus,
 5 quas longaeva manent constantis secula famae ;
 6 omnis quas cupiat bibliotheca suas.
 7 Iste Casaubonos habeat liber, iste Thuanos ;
 8 Heinsiacas monstret gentibus iste notas.
 9 Aurea doctorum recitatrices charta virorum,
 10 nomina quae tantum non moritura vehis,
 11 quid tibi nobiscum ? Quid me, precor, ordine vulgi
 12 detrahis, et ponis non regione mea ?

13 I tamen, atque aliquis qui sim si forte requiret ;
14 dic unum hoc, domino me placuisse tuo.

* EJUSDEM EPIGRAMMA AD JOANNEM RUTGERSIUM
SUECORUM, ETC. REGI A CONSILIIS IN SUECIAM ABEUNTEM.

P_34 v.1 Vos quae caeruleo nescitis gurgite tingi,
2 custodes axis magna minorque ferae,
3 suppositum vestris petit en Rutgersius orbem
4 sideribus, patriae sidus et ipse suae.
5 Incolumem praestate ratem, bona plurima secum
6 quae vehit, Arctoae non bene nota plagae.
7 Ad juga Saevonis, glacialique aequore cinctas
8 Lappionum terras, et, Scritofinne, tuas
9 Actaeae veniunt artes, Romanaque Suada.
10 Barbariem longe qui fuget, hospes adest.
11 Qualis praecipitem vates Oeagrius Hebrum
12 Sithonia fertur detinuisse lyra.
13 Qualis et ille solo dignus meliore Poeta
14 plaustrivagos docuit verba Latina Getas.
15 Sed satis est uti, Sueones : nil poscite majus :
16 credit hoc vobis terra Batava caput.

* EJUSDEM EPIGRAMMA
IN NUPTIAS DANIELIS HEINSII ET ERMEGARDIS RUTGERSIAE,
UBI ET DE RUTGERSIO AGITATUR.

P_35 v.1 Vatum maxime, tuque digna Virgo
2 urbis principis in sinu creari,
3 illo sanguine, qui tot atque tantos
4 rectores dedit, et dabit Batavis.
5 O quot sunt pariter canenda Muis !
6 Hinc Vatis soror, inde Vatis uxor.
7 Et tu, cor Venerum, pater Leporum,
8 quem tam laeta dies requirit unum ;
9 seu te Rex socium trahens laboris
10 hostem finibus arcet imminentem,
11 seu jam de Getico profectus axe
12 Codani veheris sinus per undas,
13 optans ut liceat cito videre
14 in complexibus Heinsium sororis.
15 Vos omnes veniam peto precorque,
16 quod nostri sine carminis tributo
17 nox nulli ingenio tacenda transit :
18 hoc curae faciunt molestiaeque,
19 Phoebus quas fugit Aonisque turba.
20 Det nobis Deus, ut sereniorem
21 hoc a tempore computemus annum.
22 Tunc, quae debueram thoro jugali,
23 solvam carmina dedicata cunis,
24 cum patrem tenero professus ore
25 doctum vagiet Heinsianus infans ;
26 nec dormire volet, nisi paterni
27 dulces carminis audiat susurros.

JOANNIS RUTGERSII REGII IN SUECIA CONSILIARII E BATAVIA ABEUNTIS
 * PROPEMPTICON A DANIELE HEINSIO CONSCRIPTUM

P_36 v.1 Aeolii fratres, quorum sub numine surgit
 2 Pontus, et illaesa decurrunt aequora puppes,
 3 hoc terris servate caput : cui junctus Apollo
 4 aeternusque Helicon dubiis committitur undis,
 5 et patriae sperata salus. Si tota precatur
 6 imploratque suos regina Batavia Divos,
 7 et gens indigno Musarum oppressa dolore.
 8 Nam neque sic maesto juvenis divulsus Oresta
 9 Phoceus, neque sic mediis deprensus in umbris
 10 aegides stupuit, cum victor sidera retro
 11 Alcides peteret, clausoque evaderet orbe,
 12 custodem referens tenebrarum e nocte silenti,
 13 centum ora, et centum torpentem colla catenis,
 14 ut nunc immenso curarum involvimur aestu
 15 Phoebi sacra cohors. Nec tu tamen ardua coepta
 16 invictosque animos pone, et sublimia vota,
 17 spes et amor patriae juvenis ; quamquam aequora tanta
 18 undarumque obstant montes, tam saeva minantur
 19 frigora, quamquam Arctos vicino sidere, quamquam
 20 immitis Boreas speratum diligit axem,
 21 et glaciem et fractos molitur ab aere nimbos,
 22 nec te detineant lacrimae vultusque paterni,
 23 et fraternus amor, circumfusaeque sorores,
 24 non alii, quos celsus honos e stirpe tuorum
 25 extulit, et nostris affixit gloria rebus,
 26 illustres animas, claraeque ab origine gentis :
 27 quorum humeris quanta est populi fortuna recumbit.
 28 Nec te detineat patriae praesentis imago,
 29 non pulchri aspectus nemorum quos possidet Haga,
 30 Astraerae Venerisque deae gratissima sedes,
 31 Haga voluptatum genitrix, genitrixque laborum ;
 32 totque urbes hinc inde aliae, vel quae tibi lucem
 33 prima dedit, primumque indulisit munera vitae.
 34 Quamquam illam rex indomito cum flumine Mosa,
 35 et Linga, et genitor Vahalis circum errat aquarum
 36 quamquam olli curas omnis, tristesque dolores
 37 diluit, et grato solatur munere Rhenus.
 38 Hoc quodcumque vides, qua caeli ingentia tecta
 39 incubuere solo, terramque amplexus inertem
 40 tot circum flammis diffunditur aureus aether,
 41 quaque impacatum terras praelabatur aequor,
 42 virtutis spatium est. Hanc metam illustribus ausis
 43 indulsit Natura parens, tum cum aethere ab alto
 44 ignea victurae libavit semina mentis,
 45 aeternosque animos imbelli in corpore clausit.
 46 Si non Aeoliden Ithace, non Thessala Tempe
 47 ardentem Aeaciden, non septem terga minantem
 48 taurorum Telamoniaden Salaminia rupes,
 49 non antiqua Pylos felicem nectare linguae
 50 Nestora, non dominae Atridas tenuere Mycenae ;
 51 tu quoque, sit quamvis formosa Batavia mater,
 52 foederibus regum tantis, tot laeta tropaeis,
 53 ingentem diffunde animum, qua sidera currunt,
 54 et patriam metire immensae finibus aethrae.
 55 Tempus erit, cum plenus opum, cum plenus honorum,

56 irritaque expertus magnarum praemia rerum,
57 pollutas nullo laudabis crimine Musas,
58 occultosque lares, ubi vitae tuta petentem
59 otia tranquillo lustrabit lumine Virtus.
60 Seu procul ignavo gaudentem excedere vulgo,
61 Porticus accipiet, torvo dilecta Catoni,
62 audacis nutrix animi, constansque laborum ;
63 seu qui Socratico diffundit nomine verum,
64 ignotus populo sapiens, vicinus Hymetto,
65 Ilisum trepidantem inter fontesque salubres
66 fessum aulae, dulcis sophiae circumdabit umbra.
67 Saepe etiam regum curas, et tristia bella,
68 et quicquid gelido Oceanus sub gurgite volvit
69 monstrorum, effusas informi corpore phocas,
70 et nil balaenis debentem immanibus orcam,
71 non infacundo mecum perfusus Iaccho,
72 Lugduno in media referes : ubi mollia curis
73 tempora compositis Musisque indulget Apollo.
74 Interea causas alii, et civilia jura
75 defendent, patriasque evolvent litibus urbes,
76 quae quondam tibi cura fuit. Nunc maxima rerum
77 majestas, et sceptrum vocant ; nunc purpura nobis
78 invidet, et regum non expugnanda voluntas.
79 I, fati accede tuis rebusque futuris ;
80 et laetos admitte Deos. Sueonumque potentum
81 regnatorem animo excelsum, fretumque juvena
82 et laudum spe, disce sequi, sive horrida castra,
83 Riphaeas inter glacies septemque Triones,
84 figit, et armatum circumdat frigore Moschum,
85 seu spumantis equi sudore undantia colla
86 assuescit tonitru murorum, et fulmine Martis,
87 seu pacis molitur opus, Gotthoque volente
88 Arctoas late componit legibus urbes.
89 His rerum auspiciis, tantoque insignis honore,
90 pone sequens magni exempla et vestigia Dycki,
91 numquam olim patriam adspicies inglorius Hagam.
